



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XII. Quòd magna diligentia se debeat communicaturus Christo præparare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Sacerdotibus specialiter in Lege dicitur: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.

8. Adjuvet nos gratia tua omnipotens Deus, ut qui officium sacerdotale suscepimus, dignè ac devotè tibi in omni puritate & conscientia bona famulari valeamus.

Et si non possumus in tanta innocentia vitæ conversari, ut debemus: concede nobis tamen dignè flere mala, quæ gessimus; & in spiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis proposito, tibi ferventiùs de cætero deservire.

## C A P U T XII.

*Quòd magnâ diligentia se debeas  
communicaturus Christo præ-  
parare.*

### VOX DILECTI.

1. **E**GO sum puritatis amator, & dator omnis sanctitatis.

Ego cor purum quæro, & ibi est locus requietionis meæ.

Para

Para mihi cœnaculum grande  
stratum, & faciam apud te Pascha  
cum discipulis meis.

Si vis, ut veniam ad te, & apud  
te maneam: expurga vetus fermentum,  
& munda cordis tui habita-  
culum.

Exclude totum sæculum, & om-  
nem vitiorum tumultum: sede tan-  
quam passer solitarius in tecto, & co-  
gita excessus tuos in amaritudine  
animæ tuæ.

Omnis namque amans suo dilecto  
amatori optimum & pulcherrimum  
præparat locum, quia in hoc cog-  
noscitur affectus suscipientis dile-  
ctum.

2. Scito tamen te non posse sa-  
tisfacere huic præparationi ex me-  
rito tuæ actionis, etiamsi per inte-  
grum annum te præparares, & nihil  
aliud in mente haberes.

Sed ex sola pietate & gratia mea  
permitteris ad mensam meam acce-  
dere: ac si mendicus ad prandium  
vocaretur divitis, & ille nihil  
aliud

aliud habeat ad retribuendum beneficiis eius, nisi se humiliando & ei regratiando.

Fac quod in te est, & diligenter facito: non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore, & reverentia, & affectu, accipe Corpus dilecti Domini Dei tui, dignantis ad te venire.

Ego sum, qui vocavi, ego iussi fieri, ego supplebo, quod tibi deest: veni, & suscipe me.

3. Cum gratiam devotionis tribuo, gratias age Deo tuo: non quia dignus es, sed quia tui misertus sum.

Si non habes, sed magis aridum te sentis, insiste orationi, ingemisce & pulsa: nec desistas, donec merearis micam aut guttam gratiæ salutaris accipere.

Tu mei indiges, non ego tui indigeo.

Nec tu me sanctificare venis, sed ego te sanctificare & meliorare venio.

Tu

Tu venis, ut ex me sanctificeris, & mihi uniaris; ut novam gratiam recipias, & de novo ad emendationem accendaris.

Noli negligere hanc gratiam: sed præpara cum omni diligentia cor tuum & introduc ad te dilectum tuum.

4. Oportet autem ut non solum te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicitè conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quàm devota præparatio prius. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam.

Ex eo quippe valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia.

Cave à multiloquio, mane in secreto, & fruire Deo tuo: ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest.

Ego sum, cui t e totum dare debes:

X

ita

ita ut jam ultrà non in te sed in me  
absque omni sollicitudine vivas.

C A P U T XIII.

*Quòd toto corde anima devota Chri-  
sti unionem in Sacramento affe-  
ctare debet.*

VOX DISCIPULI.

I. **Q**uis mihi det Domine, ut inve-  
niam te solùm, & aperiam  
tibi totum cor meum, & fruam te,  
sicut desiderat anima mea: & jam  
me nemo despiciat, nec ulla creatura  
me moveat vel respiciat, sed tu solus  
mihi loquaris, & ego tibi, sicut solet  
dilectus ad dilectum loqui, & amicus  
cum amico convivari?

Hoc oro, hoc desidero, ut tibi to-  
tùs uniar, & cor meum ab omnibus  
creatis rebus abstraham, magisque  
per sacram Communionem ac fre-  
quentem celebrationem, cœlestia &  
æterna sapere discam.

Ah Domine Deus, quando ero te-  
cum totus unitus, & absorptus, mei-  
que totaliter oblitus?

Tu